



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. Proponitur, & declaratur unus casus specialialis, in quo alienatio rei Ecclesiasticæ sieri potest à Prælato absque consensu Capituli;

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nationis habeat, prohibitum autem sit Episcopis alienare res Ecclesie (immobiles, aut mobiles pretiosas, quae servando servari possunt) sine consensu sui Capituli, consequenter Ecclesias taliter unire non poterit: Imò nec fructus Ecclesiarum Parochialium poterit unire in perpetuum Monasterio v. g. aut alteri Ecclesie, sine consensu Capitali, aut Papæ auctoritate, quamvis Patronus illius Ecclesie in hanc unionem consentiret. *c. Pastoralis 9. h. 2.* ob allatam scilicet rationem, quamvis ad alienationem talem infra decennium, de jure antiquo, sufficiat consensus tacitus, prout ex dictis jam patet.

## §. II.

*Proponitur, & declaratur unus casus specialis, in quo alienatio rei Ecclesiastica fieri potest à Pralato absque consensu Capituli.*

Quamvis hic casus ad *Tit. 13. de rebus Ecclesia non alienand.* infra pertineret, ut multa alia, quae in hoc Titulo aguntur, quia tamen in *c. Cum Apostolica sedes 7. h. 1.* casus hic specialis refertur, breviter eum indicare placuit, pluribus legendum, apud Auctorem Methodi.

Est autem casus iste, quòd scilicet si Laicus decimas, à Pralato Ecclesiastico, ante Lateranense, in feudum acceperat, & nolit eas suae Ecclesie, à qua in feudum eas recognoscit, restituere, velit autem alteri Ecclesie, vel Monasterio eas donare, donatio talis, si fiat cum consensu Diocesani, non requisito consensu Capituli, subsistat, cum talis donatio in hoc casu, non tam sit alienatio, quam

renovatio rei Ecclesiastica à manu Laici ad Ecclesiam, saltem universalem, ut Pontifex, & de re Ecclesiastica tam Laicus disponat, quòd fieri non potest, quam Episcopus.

## §. III.

*Quinam actus fieri debeant in Consilio Capituli?*

Primo non potest Episcopus, vel alius similis Prælatus, personam Ecclesiasticam instituere, aut destituere, in Consilio Capituli, *c. Novus 4. h. 1.* (cum indecens sit, ut caput sua mensura negligat in rebus, quae bonum totius concernunt) nisi consuetudo legitime præscripta aliud permittat, aut quae in his, potestate & jure ad se devota, propter negligentiam inferiorum, quae in casu non tenetur petere sui Capituli consilium.

Secundo non potest Episcopus, vel alius similis Prælatus suae Ecclesie negotia, sine Consilio sui Capituli, expedire, prout statuitur (ob rationem scilicet oblatam) in *c. Quanto 5. h. 1.* nisi recepta consuetudo disponat aliter, aut negotia exigua, & minoris momenti sint: tamen in illis casibus, ubi consilium Capituli adhibere debet, tenetur eum illud sequi (nisi consilium idem deest, quòd consensus, aut consensus expressus requiratur) quia per solam consilii requisitionem, juri taliter præcipere licet, & utilitas consilii haberi potest, etiam si Episcopus illud non sequatur.

Tertio debent etiam invitari (negotia enim cogi possunt) Capitula Ecclesiarum Cathedralium, ad Concilia Pra-